

**Dissertatio inauguralis medica de secundinis restituantibus / [Christoph Matthäus Stoy].**

**Contributors**

Stoy, Christoph Matthäus.  
Alberti, Michael, 1682-1757.  
Universität Halle-Wittenberg.

**Publication/Creation**

Halae Magdeburgicae : Typis Joh. Christiani Hendelii, [1743]

**Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/fgaptref>

**License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.




Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>



50008/B

J. XXX. C.  
18





Digitized by the Internet Archive  
in 2019 with funding from  
Wellcome Library

<https://archive.org/details/b30499628>

26527

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA,  
DE  
**SECUNDINIS**  
**RESTITANTIBUS,**

*Quam*

AUSPICE DEO PROPITIO,

*Ex Consensu atque Auctoritate Gratiæ Facultatis Medicæ,*

IN ALMA REGIA FRIDERICIANA,

*P R æ S I D E,*

**DN. D. MICHAELE ALBERTI,**

SACR. MAJ. REG. PORUSS. AULICO ET CONSIST. MAGDEB.

CONCILIARIO, MED. ET PHILOS. NATUR. PROFESSORE

PUBLICO ORDINARIO, ETC.

DECANO H. T. SPECTATISSIMO,

*Domino Patrono, ac Promotore suo, omni honoris cultu prosequendo,*

**PRO GRADU DOCTORIS**

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS DO-  
CTORALIBUS LEGITIME IMPETRANDIS,

HORIS LOCOQVE CONSVETIS

ANNO MDCCXLIII. D. MAJI.

*Publicæ ac placide Eruditorum ventilationi subjiciet*

A U C T O R

**CHRISTOPH. MATTHÆUS STOY,**  
JARM. POMERANUS.

---

HALÆ MAGDEBURGICÆ,

TYPIS JOH. CHRISTIANI HENDELII, ACAD. TYPOGR.



V I R O  
ILLUSTRI, EXCELLENTISSIMO  
ET EXPERIENTISSIMO  
D O M I N O  
**IOANNI BEHME**  
MEDICINÆ DOCTORI  
SACRÆ REGIÆ MAJESTATI BORUSSICÆ  
CONSLIARIO AULICO ET ARCHIATRO  
MILITUM PRÆSIDIARIORUM MEDICO ET COL.  
LEGII SANITATIS ADSESSORI  
IN ILLUSTRI GYMNASIO REGIO ANATOMES  
ET CHIRURGIÆ PROFESSORI  
PHYSICO PROVINCIALI POMERANIÆ CITERIORIS  
ET ULTERIORIS  
COLONIÆ GALLICÆ ET URBIS SEDINENSIS  
PHYSICO  
DOCTRINA MERITISQUE CELEBRATISSIMO

**FAUTORI SUO ET PATRONO MAXIMO**

**HAS STUDIORUM SUORUM PRIMITIAS**

**IN DEBITAM OBSERVANTIA TESTIFICATIONEM**

**D. D. D.**

**AUCTOR ET DEFENDENS.**



*Q. B. F. Q. V.*

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA

DE

## SECUNDINIS RESTITANTIBUS.

### PROOEMIUM.



Non est dubium, quin humani generis plurimum intersit, ea, quæ ad propagationem ejus pertinent, rectissime fieri, & perpetuo succedere. Quum autem multa incident, a quibus impedimenta & damna huic negotio imminent, ut, aut mater, aut conceptus, jamque in lucem edendus fœtus periculum incurrat: jam pridem emersit necessitas, tales in Republica personas constituendi, quæ singulari studio ea perquirerent, omnique opera explorarent, unde istiusmodi damna subnascantur, quibusque artibus efficaciter succurri & cum recta ratione præveniri possit. Cumque in partus negotio matronalis pudor sæpe efficiat, ut opem a viris afferendam subterfugiant, seque majori fiducia mulieribus permittant: factum hinc est, ut longe sæpius rem obstetriciam feminæ, quam viri, exerceant. Et sane optandum

est, in Republica ad necessarios usus suppeteret honestas feminas, harum rerum satis peritas, quibus se puerperæ tuto permittere possint, & salutem ab ipsis reportare. Enim vero hic accidit subinde, ut, quemadmodum mari tranquillo etiam mediocris gubernator navem facile dirigit, cursumque feliciter absolvit; sic in facili & naturali partu, quævis obstetrix sufficiat, fœtumque cum matre expedit. Ut autem procelloso a mari, cœloque turbido, & nebulis squalente navem ita dirigere, ut non in scopulos & syrtes impulsa pereat, perito gubernatore opus est; idque præcipue tempus artem dexteritatemque ejus comprobat; sic obstetricis virtutem & præstantiam tunc potissimum cognoscimus, quando incidunt casus, ubi multa præter naturam sese habentia ingruunt, & quasi agmine facto concurrunt. Plura hic sunt, quæ ex intimis artis medicæ præceptis accurate expendi debent, ut cognoscatur, an agere vel quiescere præstet, quibusque modis & instrumentis auxiliisque res præsens indigeat. Horum aliqua pars ex anatomica consideratione quidem dispalefecit; sed sunt tamen, quæ in alias medicæ partes excurrunt, atque ab his consilium & auxilium exspectant. Quis enim ab obstetrice exspectet, ut rationes motuum ad superiora vergentium, vomituum, convulsionum, lipothymiarum, strangulationum, hæmorrhagiarum satis perspiciat, atque causæ inventæ sublationem aut correctionem apte inveniat? Hujus generis complura cum saepè inciderint, cognoverunt sane ii, quibus urbium, populo-

pulorumque salutem procurare incumbit, necessitatem adhibendi in consilium viros, qui cum ceteris medicinæ partibus, huic etiam chirurgiæ operam dederunt, didiceruntque, quibus, quovis emergente casu, ad salutem procurandam potissimum opus sit. Hæc inter non postrema est illa angustia, in quam puerperæ adducuntur, quoties fœtu jam e carceribus suis educto secundinæ restitant, & solitis encheiresibus educi nequeunt. Quo casu non solum res matris in discrimine haud modico versantur, verum etiam obstetricis & adstantium trepidatio multa observatur, quæ tanto tristior est, quo magis sententiæ animique distrahuntur, ut non raro multitudo & dissensus consulentium rem in periculum summum adducat. Dignum itaque existimavi hoc argumentum, quod curatius expenderem, & dissertatione præsente inaugurali evolverem. Faxit Deus, ut erroribus evitatis rectissimum iter teneam, quod ad generis humani salutem, Deique gloriam deducat.

### §. I

**S**ecundinæ, in Scholis medicis recepto vocabulo, hodie vocantur, quæ veteribus omnibus, ut Cornelio Celso, Plinio, Senecæ, Apulejo, dicuntur *secundæ*. Videntur in eo imitari Græcos, qui eandem rem appellabant modo δευτερον, modo δευτέριον: quibus vocibus notionem secundi inesse manifestum est. Non ample exquiram, an in denominatione hac imponenda ad id magis respexerint, quod in partu, post fœtum editum

tum, quasi secundo partu exeunt; an translato signifi-  
catu designare voluerint aliquid sequioris & abjectæ con-  
ditionis. Nam ubi nobilem succum ex vuis torculari  
expressum acceperant, vinaceis aquam infundebant, &  
post macerationem aliquam extrahebant τὴν δευτέραν,  
vinum secundarium, loram.

## §. II.

Denotat autem hoc nomen id, quod velamentum  
infantis in matrice fuerat, ejusque tam custodiæ, quam  
multis aliis necessitatibus atque utilitatibus inservivit,  
quamdiu in utero moratus fuit: in lucem autem edito  
eodem nec matri amplius, neque nato conductit, adeo-  
que ab matre educi, & ab infante separari debet. Sunt  
autem binæ membranæ, quarum exterior, eademque  
crassior & robustior, chorion vocatur; interior & tenu-  
ior amnios dicitur. Deinde est funiculus umbilicalis,  
qui ex abdomen infantis protenditur, atque binas arte-  
rias inde prodeuntes ad placentam uterinam deducit,  
venam autem ex ea redeuntem unicam pariter involvit.  
Ipsa denique placenta, quæ uteri certo spatio arête ad-  
hærescit, & ante maturitatem fœtus vere continua est,  
chorio ita arête etiam conjungitur, ut pro interiori sua  
parte ab illo, tamquam sua tunica, tegatur, exteriori  
autem singulari, eaque solida tunica, exterius villosa,  
obducatur, & cum villosa uteri conjungatur. De cuius  
existentia dubitari nequit, quoniam experientia docet,  
posse in placentam non disruptam injectiones fieri, &  
tam diu continuari, donec omnis rubedo eluatur. Plu-  
ra de eo FRIED. RUY SCHIUS in *Thesaur. Anatom.* docet,  
qui ni fallor, primus villosam eius superficiem ostendit.

## §. III.

## §. III.

Antiquiores plerique auctores, ubi secundinæ partes recensent, tres nobis tunicas enumerant, chorion, amnion & allantoidem. Hoc a brutis ruminantibus acceptum esse, quorum corpora veteres frequentius, quam hominum secuerunt, & in ipsis visa ad homines transtulerunt, dubio carere hodie videtur. Nam insignis & amplissime patens allantoides vitulorum facile detegitur. Sed in homine nemo aliquid simile invenerit, notumque est, quantum eruditis ludibrium debuerit **GODOFR.BIDLOUS**, qui in splendido suo opere anatomico per pictorem suppleverat, quod natura hominum fœtibus negavit. Urgent quidem aliqui necessitatem talis receptaculi, quod urinam cumulatam fuscipiat, & urachum a vesica fœtus humani ad umbilicum apertum allegant: sed quicquid sit de uracho, quem nemo negaverit, quia omnes videamus; certe hinc nihil amplius concluditur, quam naturam derivando lotio vias parasse. Cumque multi observaverint inter chorion & amnion collectæ humiditatis, lotio simillimæ, quantitatem: hinc **RUYSCHIUS** pseudo-allantoidis nomen huic spatio dedit.

## §. IV.

Ad secundinas sine dubio etiam referenda erunt, quæcunque corpora in utero præter fœtum contenta fuérint: qualia molarum nomine cognoscuntur, & satis crebro una cum fœtibus gestantur. Multa leguntur apud scriptores Italos, quæ fidem faciunt, quod in certis regionibus talia frequentius accident, quam in aliis. Sic **VARANDAUS** *de morbis mulier*: nos edocet de fratribus lombardorum: alii autem de fratribus salernitano-

rum, quos bufones etiam dicunt, similia adduxerunt, vi-  
de plura etiam loca Italiæ indicantem ALEXANDR. BE-  
NEDICTUM *libr. XXV. cap. 36.* Unde discimus per Ita-  
liæ illum tractum, qui Longobardia hodie dicitur, &  
in regni Neapolitani parte quadam, ut & agro Pisano,  
quasi endemium esse, ut mulieres uterum gestantes,  
crebro molis infestentur, vivo fœtui adjunctis. Et quam-  
quam in aliis regionibus id non adeo sit frequens, ut  
quasi in opprobrium cesserit: ubique tamen locorum  
aliquando visuntur concrementa quædam membranacea  
aut carnosa, quæ aliquibus quidem feminis una cum fœ-  
tu gestata fuerunt, sive singula, sive bina, aut plura: aliis  
autem sola in utero & imprægnationem veram mentita  
fuerunt. Quæcunque hujus sunt generis, extra uterum  
esse promovenda, indubium est. Quare illa, quam-  
quam verum secundinarum nomen non merentur, ad  
hunc sermonem obiter adjicere visum fuit, quum in eo  
illis certe convenient, quod sint removenda & elimi-  
nanda, ne mulieres magno in posterum damno affi-  
ciant.

## §. V.

Veri nominis secundinæ una cum fœtu conceptæ  
sunt, & nutrimento ab utero accepto, quemadmodum  
ipse fœtus, nutritæ & auctæ. Serviverunt etiam fœtui  
involvendo, atque aquis, quibus innatæ, continendis.  
Ad hæc succis a matre acceptis ulterius elaborandis, at-  
que cum sanguine fœtus subigendis miscendisque, variis-  
que secretionibus atque excretionibus inserviunt. Con-  
siderari itaque debent tanquam veræ partes struetæ &  
organicæ, certis finibus destinatæ. Quorum nihil dici  
potest

potest de molis, quippe quæ informes carnes sunt, neque aut figuram, aut magnitudinem, vel consistentiam certam habent: sed pelliculosum quid, plus, vel minus crassum sæpe vesiculosum, intus plerumque coagulatum sanguinem continens, deprehenduntur. Sunt tamen observationes a viris non vanis in commentarios & annales medicos relatæ, quibus commemorantur artuum certorum ac membrorum vestigia & reliquiae in molis deprehensæ: tamquam jam concepti fœtus debita elaboratio impedita fuisset, aut omnino jam formatus ex quacunque causa fuisset resolutus, & colliquatus, membranis forte tantum superstibis, mirum in modum inter se convolutis & compactis. Pariter etiam nota sunt exempla puerarum a secundinis non liberatarum; quæ post aliquantum tempus excluserunt molam, in qua nihil pristinæ earum formæ simile cognosci poterat. Taceo infinita, quæ de molarum origine per tot secula disputata sunt, præsertim de ortu earum in honestis virginibus aliisque cœlibibus; ubi sanguis menstruus in utero detentus ortum istiusmodi concrementis dare posse videtur.

## §. VI.

Missis itaque omnibus, quæ de secundinis disputari possunt, quæque ad earum formationem & usum pertinent: unice inhærebimus illarum considerationi, quantum jam in lucem edito infante, ut partes nec nato amplius necessariæ ac utiles, nec matri tolerabiles & proficuae, judicari debent, adeoque ab utrisque removendæ sunt. Et ordinaria quidem nascendi lege, quando justum gestationis tempus absolutum est, prægnans molis

descensum ad inferiora, eodemque tempore vaginam magis abbreviari sentit, ita ut in illis, quæ partui propinquæ sunt, osculum uteri internum proxime admotis digitis occurrat. Hoc per dierum aliquot decursum placide sensimque peracto, veri tandem partus emicant nifus, non sine vivo doloris sensu a lumbis incipientes, & ad sinum pudoris excurrentes, sub quibus osculum uteri recluditur. Ex hoc tunc egredi incipiunt membranæ, quibus aqua parturitionis, ipsoque fœtus, continetur, faciuntque hæ aquæ, ad inferiora naturaliter prementes, turgentem & propendentem aliquam vesicam, quæ ipsa ad magis dilatandum osculum uteri non leve adjumentum adfert. Tandem autem quando tensio & pressio aquarum membranas, nullo includente & coercente pariete amplius munitas, adeoque incumbenti ponderiferendo impares, perrupit; effunduntur illæ, nisi mox ad exitum simul accinctus & subsequens infans, capite suo objecto, partem retineat: quod ad faciliorem & feliciorrem partum quam multum facere, ab artis obstetriciæ magistris uno fere ore commendatur & laudatur.

### §. VII.

Subsequentibus deinde aliquot nixibus, & obstetricia manu adjuvante, ipsoque fœtu connitente, excluditur fœtus: idque si omnia se ex parte tam matris, quam nascentis, recte habeant, nihilque ab obstetrice aut adstantibus peccetur, satis plerumque feliciter succedit. In lucem edito fœtu, post non longam moram, obstetrix, funiculo umbilicali blande tracto, & naturæ nixibus concurrentibus, secundinas educit, sicque puerperam feliciter, iam pleneque liberatam, partusque labo-

re defunctam, lecto permittit; natam vero prolem, diligato & reciso umbilicali funiculo, repurgandum a soribus, &, ut moris est, curandum suscipit. Atque hæc tam facilis secundinarum extraëtio maxime tribuenda est placentæ uterinæ promptæ facilique secessioni ab utero, cuius aliquo spatio arête adhæret, ut, tamquam continua cum ipso videatur, difficillimeque abstrahatur, quando fœtus plenam maturitatem nondum consequutus est: quum e contrario non majori negotio, ac petiolus cuiusque pomi maturi ab arbore secedit, detrahi queat, si gestationis legitimum tempus absolutum est.

## §. VIII.

Neque tamen negare velim uteri jam maximam partem evacuati contractionem, perpetuo nisu fibrarum sensim progredientem, non parum ad separationem hanc facere. Nam cum placenta in latum expansa, superfici corporis cavi adhæserit, eidemque coextensa fuerit: nunc postquam angustior fit uteri cavitas, contactus spatia breviora fiant, necesse est. Hinc abrumpuntur passim fibrillæ vasculosæ, connexionem cum placenta efficienes. Cumque per disjunctas illas vasorum extremitates sanguinis lochialis guttulæ continuo exsudent & confluant: ab ipsa ejus sanguinis successiva collectione, plures continuo vicinas disjungi & separari vero est admodum simile. Quodsi tunc accedat puerperæ debitus nifus & peritæ obstetricis modesta tractio: res facillime utique peragitur.

## §. IX.

Clarissimus rei anatomicæ auctor & amplificator, idemque obstetriciæ etiam artis magister, admodum jam

senex, in *advers. anat. II. obs.* X. aliud hic adminiculum, antea nec sibi, nec aliis visum & observatum, describit. Scilicet in ipso fundi uteri centro esse musculum quendam orbicularem, a quo musculo uteri post partum evakuati contractio incipiatur, deindeque ulterius versus cervicem ejus pergit. Atque huic contractioni tribuit separationem placentæ, quam tantum non semper in fundi uterini centro adhærescere nobis persuadet. *Enim* vero neque musculum illum anatomici obstetriciæ omnes concedunt, vere existere, neque rei peritis probatur, quod placenta perpetuum aliquem locum, cui adhærescat, habere soleat. Quin potius magno utique consensu novissimorum & probatissimorum auctorum constat, nihil hic esse perpetuum: planeque fortuitum esse, quo loco placenta nascens sese uteri parieti applicet & adhærescat. Atque adeo nec adfirmari posse videtur, quod pleræque placentæ imo fundo adhærescant: planeque vero simile est optimum senem hic novo suo invento plus justo favisse & hypothesi servivisse: quod quum humanum & seni potissimum, ob cetera maxima merita, condonandum sit, nihil puto, me officio erga bene meritos contrarium asserto meo admisssisse: præsertim, quum ipsem etiam auctor in tot annorum exercitiis & scrutinis anatomicis non nisi semel, idque ultima demum ætate sua, hunc musculum observasse sibi visus fuerit.

## §. X.

Sed missis nunc istis, considerabimus, quid causæ subsit, cur secundinæ in aliquibus tardè subsequantur, in aliis loco moveri, & extrahi non sine difficultate possint, in quibusdam nulla arte tuto educi queant: adeo

ut

ut obstetrix maximo impetu violenter agens, aut agere compulsa, in vitæ præsens periculum puerperam adducat, aut valetudinem ejus de futuro maxime lædat. Maxima tunc culpa residet in placenta parieti interno uteri firmius adhærescente, quam ut tractionem funiculi umbilicalis subsequatur. Aliqui culpam tribuunt funiculo huic ipsi, centro placentæ accurate inserto, ex quo fiat, observante quidem & attestante Ruyfchio, ut difficilius avellatur, quam si minus centralis, sed ex aliqua parte ambitui propior sit insertio. Iam si obstetrix violenter trahendo nitatur, enascitur vere majus & gravius incommodum, abrupto scilicet funiculo: quo facto non solum ansa, qua ad educendum, utatur, amittitur, verum etiam hodegus, qui obscurò loco, requirendam placentam, ostendat, manumque obstetricis dirigat, amissus est, re jam in maximas angustias redacta. Postremum impedimentum affert uteri, qua parte placenta hæret, arctissima contractio, ut quasi conclusus & constrictus, nullum digitis introitum & accessum permittat: quo ipso fit, ut etiam separata jam placenta, præsertim major & succulentior, per angustias educi nequeat, nisi prius relaxata & remissa hæc strictura fuerit. Atque de his singulis seorsim dispiciendum erit.

## §. XI.

Et placentæ quidem firmiorem adhæsionem obtinere, fœtu nondum ad plenam maturitatem gestato, sed præpropere ex quacunque causa in lucem edito, nihil mirum videri debet. Tenuissimæ enim villositates, quas, tunica placentam cingens emittit, & cum villis uteri conjungit, cum ipsis quasi continuæ sunt. Videntur au-

tem

rem disjungi & separari fœtu jam in lucem edito, & umbilicali funiculo resecto. Hoc enim factio communicatio inter fœtum & matrem, quocunque modo illam concipiamus, desinit. Hinc fit, ut acceptum a matre, & in placentam transmissum fluidum ibi stagnet, acerveatur, totumque corpus placentæ in molem ampliorem extendat? Atque sub hac tensione tenuissimas fibrillas passim disrumpi vero simile est: per disruptos autem canales humiditatem ab utero appulsam effluere, collectumque spatium sibi amplius formare, interpositione sua, necessarium est. Hinc autem avulsionem & separationem placentæ magis promoveri, uteri quoque angustatione adjuvante, intelligitur. Atque docere hoc videntur hæmorrhagiæ satis sæpe impetuosæ & periculose, quæ placenta restitante evenire solent.

## §. XII.

De funiculi umbilicalis centrali in placentam insertione auctoribus credimus: cur vero ea accidat, alio autem tempore aliter fiat, nemo facile dixerit. Istud facile concipimus, quod in centro determinata vis trahens minus efficax sit, ad avulsionem peragendam, quam si extremo propius admoveatur. Videmus hoc in corporibus planis recte sibi commissis, quæ viribus aliquot hominum, quin equorum omni nisu trahentium vix a nexu divelluntur, cum facile res succedat, ubi inæqualis vis, aut ex obliquo applicatur. Ruyschius tale experimentum adducit: sumas partem corii sphæricam madefactam: huic in medio filum appendas, & contra lapidem, in platea situm, magna vi comprimas; videbis, quod lapidem facile eruat. Si vero experimentum cum filo,

fili, lateri alterutri corii appenso institueris, lapidem ægre fundamentum, cui innititur, deserturum. Quod si vero tali rerum statu obstinatius omnique virium nisu agatur, quid mirum! si uterus extraversus summo puerperæ periculo & damno extrahatur. Quod cum fieri sola spasmorum vehementia sine obstetricis culpa, a Ruyshio visum & observatum sit; tanto minus mirandum est, si omni adhibita vi nisuque eveniat. Id autem si non fiat, certe tractio illa repetita, continuata, vehementior, dolorem in parte vexata concitabit, a quo spasmus fibris inducetur, & producetur illa uteri arcta conclusio, quæ tandem, siquidem tanta est, ut manus accessum omnino prohibeat, omnemque obstetricis operam eludet.

## §. XIII.

Dari autem ejusmodi celerem & arctam uteri occlusionem, experientia rerum magistra cum alios docuit, tum maxime celeberrimum RUYSHIUM, qui clarissimum, simulque gravissimum de hoc eventu testimonium reliquit: cui fidem cur non attribuamus, nullam equidem causam invenire possum. Verba ejus adscribere haud gravabor: ita autem inquit. *Advers. Anat. II.* pag. 30. *Obtulerunt mihi se casus, in quibus omnino erat impossibile, absque imminentे mortis periculo placenta liberare matricem.* Horum censeatur unus, quando edito jam infante, contractio spasmodica, fortisque fit uteri, in eo loco, qui est inter placentam & illam uteri partem, in qua os matricis internum iterum se formare deberet postea. Et porro pag. 31. *Scire enim est, post natum infantem in utero nullum reperiri tale os, ut olim fuerat:* sed ita

*omnino se res habet, ut in bursa nummaria quæ loris transmissis constricta rugosum os format, laxatis autem bisce vinculis, ubique æque lata est & expansa. Hæc itaque memorata jam constrictio uteri sæpe tam alte posita est, ut digitis, manu, carpo, & brachio, profunde in corpus immisis demum percipiatur: quin & arctationem hanc ibi adeo strictam quandoque detexi, ut digitum vix imo vix admitteret, dum tamen pone hancce placenta retenta hæret.*

#### §. XIV.

Supra paragrapho decimo inter causas gravissimas, quæ educationem placentæ difficilem reddunt, attigimus jam funiculi umbilicalis abruptiōem, cuius causam inventire haud semper expeditum est. Fatentur id certe veterani obstetriciæ artis magistri, qui sæpe mirati sunt crassissimos & maxime succulentos tam facile fuisse ruptos; tenues autem & exsuccos majorem vim sustinuisse. Iniquum itaque fuerit, si culpam illico conjicere in obstetricem velimus. Forte non parum hoc casu efficitur pressione illa, quam hic funiculus sustinet, quando infans diutius in partu obhaerescit, atque inter corpus ejus & matricis aliquam partem interceptus est, ex quo fugillationis & varii collisus consequuntur effectus. Quæcunque causa hoc effecerit, certum est utique, quod difficillimum sic redditum fuerit negotium, & multum periculi portendens.

#### §. XV.

Vidimus causas ex quibus secundinarum extractio redditur difficilis; supereft nunc, ut videamus, quid ars rationalis præcipiat, ut in discrimine versantibus succurratur.

ratur. Ubi quidem quæstio duplex emergit, utrum aliquid moliri, & vel medicamentis, vel manu tentare, remque omni conatu prosequi, an quiescere & exspectare consultius sit. Et primo quidem tanquam regulam, & ut firmum ac inconcussum asserimus, optabile esse, ut puerpera omnino liberetur, excussoque hoc omni onere uterus vacuus reddatur. Nam cum talia, quæ supersunt, fœtus non matris pars sint; haud exiguo illius incommodo cedet, quicquid remanserit. Impedit enim uterum, ne ad naturalem angustiam reverti possit, atque ejusdem repurgationi legitimæ plurimum officit. Ne dicam de hæmorrhagiis gravibus & pericolosis; certe, si res mitissime decurrit, molæ extimescendæ sunt, quæ non sine novis partus doloribus, aut nova hæmorrhagia, excludentur, aut, si exclusæ non fuerint, abortus periculum minantur, certe novam, si qua eveniat, gestationem periculosam & ambiguam reddent.

## §. XVI.

Plane igitur sentio cum illis, qui tentanda omnia, quæcunque tuta, & possibilia sunt, præcipiunt. Tussim artificiosam seu voluntariam, sternutationem moveri & præcipi, puerperam ad nisum faciendum admonevi, digitum juxta funem umbilicalem immitti, eoque prudenter placentam perterebrari, ut separetur, & separata extrahi possit, prudenter & legitime præcipi tentari que certum est. Enim vero expertus de hac re scribit RUYSCHIUS saepe laudatus *c.l. pag. 30.* Interim contingit, placentam fundo matricis cavo convexitate sui corporis adeo accretam adhærescere, ut in unum fere corpus miris coaluisse modis vere videatur. Quo quidem

casu ambiguī potest, quid salutare magis puerperæ habendum sit, hanc aliquantulum ibi relinquere, an vero omni ope obnixe moliri, omniaque tentare, eam ut avulsam, inde educamus. Est certe, inquit idem, gravis ratio, quæ suadet deliberato ad hæc animo esse, nec temeraria præcipitantia perdere, quam prudens forte servavisset tarditas. Non me fugit clarorum sententia scriptorum, qui ita animum inducunt suum, relictam in utero placentam, conjicere in præfens mortis discrimen puerperam. Satis explorato cognovi, obstetrics ideo omnem adhibere conatum; ut arte vel vi hanc eductam ostentare queant amicis præsentibus. Sed dolui acerbe casum miserarum mulierum, quibus haud raro læditur sic uterus a festinante nimis, & nimis imprudenter sæpe agente obstetricie. Extemplo tunc abdomen prædurum tumet, febris intenditur continua, quam properata sæpe mors insequitur.

## §. XVII.

Satius itaque videtur laudato auctori omne ultrius periculosum semper molimen omittere & relinquere placentam, donec ipsa natura hanc, ut sæpe feliciter fit, expediverit, quam letali festinatione occidere ægram. Semper enim ex binis malis minus eligendum esse, recta ratio suadet. Quid enim boni contingit puerperæ ex violenta tractatione morienti, si sine placenta sepeliatur, quæ cum illa vixisse poterat. Nam sæpe visum fuit, naturæ tempestivo conatu & solertia separatam tandem placentam post aliquot dies, & plerumque redeuntibus primis menstruis separatam & expulsam fuisse. Credit e, inquit RUVSCHIUS, verissima afferenti, ex sedecim,

cim, quibus relicta placenta fuerat, quindecim a natura liberatas salutavi. Idem testatur, se vidisse feminas tales, quibus placenta restiterat, iterum imprægnatas bene natum idoneo tempore fœtum enixas, atque postquam satis feliciter erant liberatae ab onere suo, scilicet tam fœtu quam secundinis, denique & hæc placentæ olim retentæ frusta, jam demum excrevisse, quæ ignarum vulgus molas, falsos conceptus, vel & monstra, alimenti fœtus per suatum rapacia, appellitare falso solet.

## §. XVIII.

Atque huic consilio optimi senis plane consona pri-  
dem docuisse video medicum quondam clarissimum *Bal-  
duin: Ronseum a Petermanno obs. med. Dec. III. obs. V.*  
laudatum; plurimumque, quos inferius laudabimus: sed  
repugnat fere perpetua praxis muliercularum, quibus  
nonnunquam Medici adstipulantur. Scilicet pro certo  
ac indubio habent, placentam utero retentam cito pu-  
tressere, hancque corruptionem cum utero communica-  
ri, qui inde inflammetur, gangrænescat. Hinc febrem  
inflammatoriam non posse abesse, mortem vero cito pe-  
de subsequi. Atque videas, hunc metum tantopere ex-  
aggerari, ut mirum non sit, cur obstetrices omni nisu  
opus urgeant, atque trahendo super vires, aut uteri stri-  
eturam relaxandi conatu, variisque deglubendi & sep-  
randi tentaminibus miseræ puerperæ gravissimos dolo-  
res, fugillationes, vulnerationes inducant. Accedunt  
tunc fere medicamenta pellentia, quibus humores im-  
pelluntur. Solidæ autem fibræ ad constrictionem majo-  
rem provocantur. Quibus prægressis non mirum est  
subsequi veras inflammationes, in gangrænam & mor-

tem abeuntes. Quas, cum violentæ imprudentique tra-  
stitutioni deberi manifestum sit; restitanti secundinæ in  
solidum adscribunt, tamquam illa putredini concipiendæ  
& propagandæ per se, & inevitabili necessitate sit  
obnoxia.

## §. XIX.

Enim vero graviter huncce metum redarguit ipsa  
experientia circumspectorum virorum, qui, observata  
impossibilitate placentam nunc extrahendi, quieverunt,  
remque omnem naturæ permiserunt. Aut enim post a-  
liquam moram remittentes stricturæ obstetrici locum fa-  
ciunt digitos suos immittendi, jamque sub novis exclu-  
dendi nisibus, placenta iterum sponte separata facile ex-  
trahitur: aut, si diutissime res protrahatur, menstruo  
fluxu repetente, exclusio consequetur, quod, cum to-  
ties jam visum fuerit: merito fidem adhibemus RUY-  
SCHIO nimium istum metum de cita putredine, atque  
fætoribus maximis illico suborientibus, febremque in-  
cendentibus, redarguenti. Planeque vero simile est, in  
illis mulieribus, ubi inflammatio supervenit, illam magis  
ab accepta & utero illata læsione violenta, quam a pu-  
trescente secundina existisse: quum, si id necessario se-  
cundinis accideret, omnibus, quibus relinquendæ fuerunt  
evenire debuisse vero sit simillimum. Ne dicam, qui-  
nam alii errores in regimine puerperæ, quæve medica-  
tiones putredini ex hypothesi metuendæ ab officiosis  
Medicis oppositæ hunc effectum & eventum accelerare  
queant.

## §. XX.

At vero, inquis, prostant observationes, quod  
multi-

mulieres graviter mulieratæ sint, mortemque oppetierint, quibus educta non fuit placenta. Respondeo, nec pauciores mori, quibus nihil secundinarum remansit, sed uterus plene evacuatus fuit. Sunt ergo multæ causæ, quæ puerperas viventium consortio eripiunt, & tam perfecte liberatas, quam residuum aliquid in utero habentes feriunt. Cum vero complura sint exempla feminarum, in quibus nihil funestum ex hac causa supervenit: oportet profecto inquirere in veras mortis causas, non autem uni ex hypothesi assumtæ festinanter attribuere effectum aliunde pendentem. Sed hæc individualibus casibus rite justeque pensitatis eruenda erunt. Certe, quod dicunt, putrilaginosos fœtores istos ad sanguinem resorptos malignam febrem incendere & mortis causam fieri, mihi persuadere non possum. Non desunt enim exempla feminarum, quæ cancro uteri per annos laboraverunt, & fœtidissimum ichorem emiserunt, absque eo, ut febris tam maligna & acuta supervenerit: iterumque quotannis multæ cum febre maligna conflictantur, eademque abripiuntur, puerperæ, in quibus nemo aliquid utero inclusum putrescens fœtidumque animadvertere potuit.

### §. XXI.

Hactenus fere sequuti sumus clarissimum RUY-SCHIUM, cuius ipsius verbis potius uti, quam nostris, consultum putavimus. Non omittendum est, quod ipsum ad hæc consilia obstetricibus danda compulerint frequentissimi casus tragicæ, qui in urbe maxima Ainstelodamo ipsi obtigerunt spectandi, quorumque gravitas animadversionem collegii medici & amplissimi magistratus

rus provocavit, ut temerariis conatibus obviam irent. Si recte considerateque legamus, quæ in hanc rem ab ipso scripta sunt, videtur, utique injuste accusari, tamquam omne studium educendi secundinas prohibuerit, remque omnem illico naturæ permittendam contendere: aut medicinæ ope omni abstinentia suaferit. Loquitur enim tantum de illis casibus, ubi vera impotentia artis clare in oculos incurrit, aperteque cognoscitur nullo tuto & seguro modo posse succurri. Vir clarissimus, qui contra ipsum ex instituto scripsit, & subinde rigidiorem censuram exercuit, tandem ipsem in veram ejus sententiam planissime concedit. En ejus verba: sunt qui suadent, quotiescumque non fieri potest, ut secundinæ absque uteri laefione digitis resolvantur, ab operatione desistere, atque ex duobus malis minimum eligere, naturæ rem omnem permittendo: atque hoc consilium universalem applausum utique meretur. Atque in alio loco effatum hoc RUYSCHIANUM, separationem placentæ nimium adstrictæ temporis potius contendam esse, quam vitæ periculo per frusta & partes evadicandam esse, auro cedroque dignum pronunciat, nihilque se habere profitetur, quod ipsi opponat.

## §. XXII.

Atque sane audeo affirmare, hanc eandem esse sententiam omnium circumspectorum medicorum, ex quibus eminet illustre quondam decus nostræ academiæ b. D. D. STAHLIUS, qui prudentem exspectationem, quum alibi semper, tum seorsim in hoc negotio gravissime commendat: ut apparebit illi, qui scripta ejus ad morbos mulierum pertinentia, accurate legerit. Nolo cumulare testi-

testimonia : sed non possum , quin laudem celeberrimi artis obstetriciae magistrum FRANC. MAURICEAU , qui crebro in observationibus suis eandem , quam RUY- SCHIUS mentem prodit . Clarissime id cognoscitur obseru . 415 . ubi sic loquitur : *Satis crebro accidit , ut obste- trices æque ac chirurgi , ne accusentur , quod puerperis se- cundinas educere nequiverint , omni nisu allaborent , eas suis manibus protrahere . Fateor , me idem tentandum suadere , si quidem operatio absque violentia peragi pos- sit : quodsi fieri nequeat , nullatenus eam tentare velim . Minus enim periculum est , ubi res naturæ permittitur , quam ubi utero vis infertur . Ita enim accersi inflamma- tionem , quæ puerperam in majus discrimin adducit , oli- quoties vidi . Id , quum de femina abortum passa pro- prie dictum sit , ad alias etiam trahi debere , apparebit observationem 658 . legenti , ubi idem exspectationis consilium laudat . Quoniam autem iste casus , quo me- ra artis impotentia manifesta est , non semper imo ra- riissime occurrit : & fieri potest ut causa , quæ impos- sibilem artis manualis concursum reddebat , post aliquot horas evanescat , & auxilio locum faciat . Tandemque non omnia conclamata sunt , si obstetriciæ & manualis artis succursus excluditur : Supereft ut videamus , quid extra hos casus , quibus justius quiescit , agendum cum recta ratione fuerit , ut secundinis exitum pareamus .*

## §. XXIII.

Atque omnino tentanda omnia , quæ secure fieri possunt , profiteor . Blande trahat obstetrix funiculum

D

umbi-

umbilicalem , hinc & inde motitando : digitis immissis quærat , funiculo viam monstrante , an possit invenire locum , quo discedere placenta cœperit : eodem pergit provide separare . Sed , si arcticissima omnino adhæsio deprehendatur ; aut uteri strictura tanta sit , ut digitis accessum nullum præbeat : funiculo umbilicali resciſſo , filum alligetur , quod femoribus circumducatur , ne intus possit retrahi . Tum puerpera lecto quietique tradatur , & analepticis blandisque antispasmodicis reficiatur . Laudantur hoc scopo cinnamomum , quod tamen non omnibus feminis tolerabile est . Minus offendet aqua pulegii vinosa , aliis sic temperanda , ne exæstuarre possit . Crocus etiam in jusculis modeſte adhibitus ſæpe insignem fructum affert . Juvabit interea clyſterem ex lubricantibus & carminativis injicere , quo acerbitas dolorum minuetur , & relaxationis fructus ad vicinum ceterum redundabit .

## §. XXIV.

Si hæc inter novi nisuſ ad expellendam efficaces exſurgant , atque uterus ſatis patulus manui obſtetriciæ ſe offerat ; quod ſæpe horis aliquot exactis accidit : tentetur eductio . Si longius protrahatur negotium , modeſta manu exhibeantur ſpecifica , ut pulvis testiculorum equinorum , ſi ad manus fit , aut , quod ipſi æquipollent , hepar anguillæ cum borrace . Sed his tutiores atque benigniores , ſatis tamen ſæpe efficaciter proficuas obſervaverunt Practici pilulas genuinas Stahlianæ , prædicta aqua pulegii ſolutas . Quodſi inter hæc ſanies fœtidæ

fœtida effluere cœperit, non male imitabimur supra laudatum MAURICEAU; qui decoctum hordei subinde ute-ro injicere suadet: cui graviori casu detergentia & di-scutientia, ut scordium, matricarium junctis quibusdam mucilaginosis, ut semine lini adjiciemus. De reliquo febri, quæ tali statu vix abesse potest, ut & hæmor-raggiis omni prudentia & circumspectione succurren-dum esse, per se intelligitur, & ex commu-nibus therapiæ rationalis præceptis repetendum est.

F I N I S.



**H**o strahlt der Wahrheit heitres Licht,  
Der blöden Welt ins Angesicht.  
Ihr aufgeklärter Geist, lernt nach und nach sich kennen,  
So fleucht des Aberglaubens Nacht,  
Die ihre Augen blind gemacht  
Und sieht nunmehr beschämt die hellen Fackeln brennen.  
Man glaubt der Einfalt nicht so gleich,  
Ein Faust- und Luxenburger Streich  
Ist bey der klugen Welt längst zum Gelächter worden;  
Wer uns von Paracelsens Geist  
Und von Archäos Brocken weist,  
Den peitscht man, wie Crispin, aus Meditrinens-Orden.  
Seit dem man immer tieffer steigt,  
Wo die Natur uns Spuren zeigt  
Und ihre Schätze entdeckt, so vor verborgen waren;  
Verschwind auf einmal Hexeren,  
Man sieht, daß es natürlich sey,  
Und der geschwächte Sinn hat weniger erfahren.  
Wil schon manch wäßriges Gehirn  
Noch auf den Einfluß der Gestirn  
Aus blinder Eifersucht mit der Erfahrung pochen,  
Man spricht ihn von Beweise frey,  
Den sein Verstand kommt doch dabei  
Mit Pöbel-Schlüssen in die Wochen.  
Hans glaubt, es träffe richtig ein,  
Wenn Dinge oft bensammen seyn,  
So müste ganz gewiß eins von dem andern stammen.  
Ein alt Weib fällt beym Mondenschein,  
Der Mond muß also Ursach seyn;  
Hans sagt: Das reimt sich wohl, und hängt auch gut zu-  
sammen.

Glück zu erlöste Medicin !  
Die Zauber-Hand darf wie vorhin,  
Den Flohr nicht mehr so frech um ihre Augen ziehen,  
Kein Aberglaube fräncket sie,  
Hier muß Anti-und Sympathie  
Hin nach Siberien samt den Planeten fliehen ;  
Darum o Freund ! wie manche Lust  
Erregst Du in Hygäens Brust,  
Da Deine Wissenschaft wil ihren Vorbeer schützen.  
Geh, dämpfe nur der Feinde Wuth,  
Den Rest der Aberglaub'gen Gluth  
Und hilf durch Dein Bemühn das Reich der Gottheit  
stützen.

Sie schwört Dir beym Doctor-Hut  
So lange noch ein Tropfen Blut  
In unserm Körper wird durch Herz und Adern rollen,  
So lange soll der Wunsch gedenhn,  
Den wir Dir statt des Beyrauchs streun,  
Denn selbst der Himmel soll dir Glück und Seegen zollen.

P. C. Eschwertner,  
M. C. Opp.

---

**E**s muß uns keiner nicht zu seinem Befall zwingen,  
Es sey uns einerley. Wer Witz und Klugheit  
hegt,  
Und je den Lehrsatz selbst mit Vorsicht überlegt.  
Hat nur allein das Recht die Meinung aufzudringen.

Sa gilt dis überhaupt, so mag ich dreiste sagen:

Wer Meditrinens Kunst zu fassen sich bemüht,

Und nicht auf Anseh'n, nein; auf feste Gründe sieht,  
Kan diesen Kunstgrief stets mit gutem Muthe wagen.

Und Du gelehrter Freund! Du bleibst in diesen Schranken;

Und glaubst nur, was Du siehst und was Dein munter Fleiß

Durch starcker Gründe-Schlüß gewiß u. deutlich weißt,  
So kan Dein' Einsicht auch bey keinem Falle wancken.

Was Wissenschaft, und Ernst für reisse Früchte bringen,

Was Witz und Redlichkeit für treue Ärzte ziehn

Und was für Knospen sonst aus solchen Nesten blühn,  
Das muß geliebter Freund die Wahrheit hier besiegen.

So wird die Wahrheit denn Dir selbst zum größten Lohne

Und überreicht Dir ißt des Fleisses Unterpfand

Den würd'gen Doctor-Hut aus der Minerva-Hand,

- Ich meine Dich mein Freund als ihren achten Sohne.

## J. C. Scheuring,

d. A. B.

von Greifswald aus Pommern

---

**K**aum war Dein muntrer Geist, Dein wohlgewandter  
Trieb,  
Der so auf Tugend gieng, als auf ein gründlich's Wissen  
Mit schwachem Licht erblickt; gleich sah' ich auf, und  
blieb  
Bewundernd steh'n und war, als wie mir selbst entrissen.

Ein reizend Bildnis ward mir dunkel vorgestellt,  
Doch deucht's mir, daß ich Hut und Ring daben erblickte;  
Was Wunder! daß es sich jetzt eben so verhält;  
Da sich für Deinen Fleiß kein schlecht'rer Zierath schickte.  
Nimm Würdigster den Schmuck, nimm diese Wür-  
de hin,  
Du hast, ich schmeichle nicht, was sie zum voraus setzt.  
Nur bleibe mir geneigt, im Fall ichs würdig bin,  
Indes bleibt dis mein Wunsch, ich will, was Dich er-  
göhet.

J. J. Beggerow,  
von Wollin aus Pommern  
der Gottesgelahrtheit Besessener.



வினாக்களைப் பற்றி விடுதலை செய்து  
நடவடிக்கைகளைப் பற்றி விடுதலை செய்து  
நடவடிக்கைகளைப் பற்றி விடுதலை செய்து  
நடவடிக்கைகளைப் பற்றி விடுதலை செய்து

நடவடிக்கைகளைப் பற்றி விடுதலை செய்து  
நடவடிக்கைகளைப் பற்றி விடுதலை செய்து  
நடவடிக்கைகளைப் பற்றி விடுதலை செய்து  
நடவடிக்கைகளைப் பற்றி விடுதலை செய்து

## வினாக்கள்

வினாக்களைப் பற்றி விடுதலை செய்து  
நடவடிக்கைகளைப் பற்றி விடுதலை செய்து



